

erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset adversus
eos experiebatur per quos coeperat posse, nec erat cuiquam
aut animus in iniuriam aut causa, cum bene imperanti bene
pareretur, nihilque rex maius minari male parentibus posset
5 quam ut abiret e regno. Sed postquam subrepentibus vitiis 6
in tyrannidem regna conversa sunt, opus esse legibus coepit,
quas et ipsas inter initia tulere sapientes. Solon, qui Athenas
aequo iure fundavit, inter septem fuit sapientia notos;
Lycurgum si eadem aetas tulisset, sacro illi numero accessisset
10 octavus. Zaleuci leges Charondaeque laudantur; hi non in
foro nec in consultorum atrio, sed in Pythagorae tacito illo
sanctoque secessu didicerunt iura quae florenti tunc Siciliae
et per Italiam Graeciae ponerent.

Hactenus Posidonio adsentior: artes quidem a philosophia 7
15 inventas quibus in cotidiano vita utitur non concesserim, nec
illi fabricae adseram gloriam. 'Illa' inquit 'sparsos et aut casis
tectos aut aliqua rupe suffossa aut exesae arboris trunco docuit
tectata moliri.' Ego vero philosophiam iudico non magis ex-
cogitasse has machinationes tectorum supra tecta surgentium
20 et urbium urbes prementium quam vivaria piscium in hoc
clausa ut tempestatum periculum non adiret gula et quam-
vis acerrime pelago saeviente haberet luxuria portus suos in
quibus distinctos piscium greges saginaret. Quid ais? philo- 8
sophia homines docuit habere clavem et seram? Quid aliud
25 erat avaritiae signum dare? Philosophia haec cum tanto